

LIBER SECUNDVS ZO-  
daci , seu Hortuli duodecim Si-  
gnorum cœlestium, autore  
Anto.Mizaldo Mon-  
luciano.

Quid signum in ytroque Spherae situ, recte, vel obli-  
què oriri, & occidere: siue ascendere, & descendere.



*Ectè oritur Signum, cum quo pars  
Aequinidialis  
Ascendit maior: cum quo verò mi-  
nor, illud  
Obliquè scandit, similis descensus  
habetur.*

Signorum ascensiones, & descensiones, siue astro-  
nomici exortus & occasus in recta Sphera.

**S**igniferi quarta de punctis Solstitionum  
Necon Aequantis venientes (ut petet ordo)  
Ascensus & descensus retinere feruntur  
Vide pro Aequales: sed ibi partes variare memento  
his erudi- Illarum medias: veluti te ars ipsa docebit:  
torū Cos- Quæ non permittit complecti singula versu.  
mogra-  
phies.

Signa tardè, & velociter ascendentia, ac descen-  
dentia in obliqua Sphera & declivi.

**R**Ectameant, obliqua cadunt à sidere Cancri,  
Donec finitur Chiron: sed cetera Signa  
Nascuntur

A V T O R E A N T O . M I Z A L D O .

Nascuntur prono, descendunt tramite recto.

Signa sex quo quis tempore supra terram esse, & to-  
tidem sub terra.

S Vpra tellurem quantus confernitur arcus  
Cælorum, tantus proponitur esse sub illa:  
Sex quo quis hora producens sidera sursum:  
Et totidem rursus occultans, retinensque deorsum  
Per lucem, ac tenebras, omni regione locoque.

Signorum exortus & occasus, siue apparitio, & occul-  
tatio triplex: iuxta poeticam & vulgarē accepitionem.

— *Signa T  
anal*

Dimidiū  
cæclum su-  
per, & in-

fra esse.

S Ignorum occasus triplex censetur, & ortus:  
Cosmicus, heliacus, necnon & acronyclus: ortus  
Cosmicus, ac occasus erit, dum in climate quo quis  
Sole oriente, aliquod Signum consurget heo a  
De regione simul: vel tum se merget in vndas.  
Dicitur acronyclus quoties surgitque, caditque  
Signum aliquod, cum primùm alto se gurgite condens  
Titan, permittit stellas splendescere cœlo.  
Heliacum vocitant ortum, cum Sole propinquo  
Signum occultatum (Phœbo sensim subeunte  
Vicinum) properè nobis sua lumina reddit:  
Occasum contraria, quoties Sol vndique Signum  
Obtenebrat splendore suo: prohibetque micare:  
Cetera percurram quando tractabo Planetas:  
Si fortuna volet, studiis malè prouida nostris.

Exortus &  
occasus Si  
gnorū cos-  
micus.

Acrony-  
chus.

Heliacus.

Signorum, & partium Zodiaci aspectus inter se, nec-  
nō radiationes. Et primū de quadrangulari aspectu,  
deinde triangulari, cum virtutisq; natura & virtibus.

N Vnc tibi Signorum aspectus proponere pergo:  
Qui nil quidquam aliud sunt, quam distantia certa & Signo-  
rum.

C ij Signo- rum.

Quid aspe-

ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Signorum inter se, aut (si vis) radiatio quedam.

Quadrangularis. Ergo, si aspectus optas numerare quadratos:

Divide Zodiacum totum per Signa quaterna:

Triangularis. Aut tria, si explorare voleas fortasse trigonos.

Heic, Signum quoduis extremum, proficit ipsum

Primum: cui socias vires committit, & addit

Ad pacem, aut bellum: veluti monstrare studebo,

Quando cœlestes satagam celebrare Planetas:

Et mundi fœdus queram, litemque per astra.

Signorum aspectus sexangularis, siue sextilis, & hexagonus: cum propria illius natura & viribus.

Aspectus  
sextilis.

**I**N sunt alternis paſsim commercia Signis,

Sextili aspectu sanctam seruantia pacem:

Si minūs ex toto, saltē pro parte propinquā:

Mascula sic maribus respondent: cetera sexus

Fœminei sic se iungunt, & pace fruuntur.

Ergo, si in signis parteis diuisiris ipsum

Signiferum, aspectus fiet qui sextus habetur.

Signorum aspectus oppositus, & eius natura, ac vires.

Aspectus  
oppositus.

**S**CIS quod Signa micant variis ex partibus, unum

Per medium mundum opposto tendentia vultu:

Septima queque loco quanvis longinqua feruntur,

Se tamen oppositi aspiciunt, virē que ministrant

Ad rixam bellumque suas, cœlo ut placet alto:

Nunc Phœbo & stellus rabidas dictantibus iras:

Nunc rabiens, saūmque malum frangentibus iisdem.

Signorum oppositorum nomenclatura, cum partibus anni quae illis respondent.

**H**IC si forte libet quæ sint contraria Signa

Per titulos recitare suos, sed esque: memento

Morbi-

AUTORE ANTO. MIZALDO.

Morbis erum Autumnum florenti opponere Veri:

Etrigid & Brumæ cerealia tempora: dico

Libram Lanigeræ: Capricorno denique Cancrum:

Piscibus Erigonem: Iuuenique, Vræque, Leonem.

Scorpius è summo cum fulget, Taurus in imo est:

Dum cedit Arcitemens, Gemini tolluntur in altum:

Et contraria: oppositus Signorum sic meat ordo.

Signa opposita, quando, & quomodo amica, vel  
inimica dicenda.

Opposita  
Signa.

S Int licet ex postu in cœlo contraria Signa:

Naturâ tamen interdum sociata feruntur:

Quod sic demonstro: Piscis & Virginis astrum,

Quanquam aduersa volent, seruant communia iura,

Et vincit natura locum: sed vincitur ipsa

Temporibus: sic tu Cancro, Capricorne, repugnas:

Fœmina fœmineo: quia Brumæ disidet Aestas.

Sunt illinc glacies, niuibusque albentia rura:

Hinc sitis, & sudor, mortales usque fatigant:

Sunt illinc luces minime, noctesque profundæ:

Hinc, prolixa dies, ac nox brevis, & propè nulla:

Ergo, si posthac homines, aut regna videbis

Opponi, pugnare quoque, & contraria velle:

Tolle oculos sursum, nec quid mirare, patet bunt

Stellato in cœlo (naturæ si modò prudens

Observator eris) que deorsum stantque, vigentque.

An non Lanigeri Signum, libræque repugnant

Parte aliqua: non Ver, Autumni à tempore differt?

Fructibus hic turget maturis floribus illud:

Hic, succedit iners, illud, frondetque, virêtque,

Conueniunt, quod habent similes noctesque, diesque:

Temporaque efficiunt uno concordia textu:

Signorum  
quorundam  
collationes  
penes simi-  
litudinem &  
dissimili-  
tudinem.

Philoso-  
phica &  
pulchra.

Ver & Au-  
tumnus.

C iij Atque

ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Atque dies pariunt medios hyemem inter, & astum.

Signa dextra & sinistra, ex quibus aspectus tam dextri, quam sinistri colliguntur.

**S**igna priora, tibi sunt dextra, luna sequuntur:  
Dexter Lanigerus Arcitenens est: & Leo lumen.  
Dexter erit Taurus Capricornus, Virgo sinistra.  
Pisces sunt Geminis dextri, Libra est quoque luna:  
Id satis exempli, nam per te cetera disces.

Signorum inimicitiae & concordiae penes aspectus,  
iuxta vulgatum Astrologorum modum.

**O**ppositis Signis odium est: quae iunge quadrata:  
Aspectus amici, &  
contra.  
Tolle trigona, simul sex angula, nam sibi constant  
Totum Signorum naturam, parte vel una:  
Discordant reliqua, ex vario nexuque, modoque.

Signorum Zodiaci partes, octo & viginti, à princi-  
scis Astronomis Lunæ mansiones, sive peragra-  
tiones inscripte: quarum supputatio ad hæc té-  
pora, fideli calculo accommodatur: cum auræ com-  
motionibus quas cent pluriūm.

**T**ractus Zodiaci  
octo & vi  
ginti, qui  
Lunæ ma-  
tiones to-  
tidem con-  
stituant.  
**P**rimus.  
**S**ecundus.  
**T**ertius.

**L**vnababet in Signis octonos & decies bis  
Tractus, quos peragrans, diversis motibus (ut sunt  
Naturæ illarum) seu spectes aera, sive  
Acquer, tellavem, necnon & corpora nostra,  
Miris usque modis agitat, conturbat, & vrget.  
Primus, Lanigeri vigena à parte, recurrit  
In trinam Tauri: & siccus censetur abunde:  
Inde, secundus abit Tauri ad sextam decimamque:  
Et passim Astronomis exponitur humidus esse.  
Tertius, eiusdem (lente satis) ultima ferme  
Calcat: ei qui datur merito natura prioris.

Hinc

AUTORE ANTO. MIZALDO.

Hinc petit undecimam quartus fratum Geminorum:  
Quem poteris siccum, vel summo iure, vocare.  
Quintus ab hoc properans, vigenam tangit eorum  
Cum quarta: cui temperies narratur amica.  
Octipedis Cancris septenam sextus, & ultra  
Illinc assequitur, fundenda imbris aptus.  
Septimus, eiusdem ad vigenam extenditur, atque  
Temperiem (ut quid am tradunt) nebulas ve ministrat.  
Hinc octauus adit, seu, rapidique Leonis  
Ternam: quam siccum tempus comitarier aiunt.  
Illinc, eiusdem sextam repetit, decimamque  
Nonus, aquas variis spargens regionibus: a quo  
Se confert decimus fermè ad postrema Leonis:  
Hic ubi temperiem, vel siccum nuntiat auram.  
Virginis undecimus tenet hinc partem duodenam:  
Siccus nonnullis, aliis humore madescens:  
Qui post hunc surgit, vigenam Virginis, atque  
Quartam consequitur, cui multi temperiem dant.  
Tertius & decimus, Librae hinc spaciatur adusque  
Octauam: cui sepe dato humores mediocres.  
Quartus cum decimo, in vigenam profili illinc  
Eiusdem: humentem dicunt, siccum esse putamus.  
Mox decimus quintus se ad ternam porrigit inde  
Scorpi: qui friget satis, estq; humore molestus.  
Cum sexto decimus, petit hinc sextam decimamque  
Ipsiusmet: habetque undas persæpe propinquas.  
Septimus & decimus concedit ad ultima Scorpi.  
Illinc, per crebro siccis comitantibus auris.  
Inde Sagittiferi rectâ meat ad duodenam  
Cum decimo octauus, pluviis quandoque refertus.  
Hinc ad quintam & vigenam, nonus decimusque

Quartus.

Quintus.

Sextus.

Septimus.

Octauus.

Nonus.

Decimus.

Vndeci-  
mus.

Duodeci-  
mus.

Decimus  
tertius.  
Decimus  
quartus.

Decimus  
quintus.

Decimus  
sextus.

Decimus  
septimus.

Decimus  
octauus.

Decimus  
nonus.

## ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Ser recipit satis atque satis pro tempore siccus.  
Vigesimus. Ex hoc, bis denus complectitur Aegoceratos  
Septenam: sudum faciens humore remixto.  
Vigenam eiusdem vigesimus occupat atque  
primus Primus, profundens partim siccā, humidā partim.  
Vigesimus secundus Moxque secundus ab hoc, necnon vigesimus, usque  
secundus In ternam Hydrochoi pergit, pluviisque ministrat:  
Vigesimus tertius. Ad decimam hinc sextam vigenus trinus oberrat:  
Vigesimus quartus. Cui dant temperiem, & parvo cum frigore Lympham.  
Vigesimus quintus. Qui secatur cum, ad postrem arecurrit Aquarij:  
Siccum nonnullis, aliis madidum aera reddens.  
Vigesimus sextus. Hinc, Pisces quintum vigenumque, ad duodenam  
Mensurant: cui sunt comites crebro vnda, madorque.  
Vigesimus septimus. Inde abit ad quartam & vigenam, sextus, abundans  
Supra vigenum, siccus, pluviisque frequenter.  
Vigesimus septimus. Proximus in partem septenam extenditur usque  
Lanigeri: nunc hoc, nunc illud tempus ad augens.  
Vigesimus octauus & vltimus. Octauus supra vigenum, ac ultimus, implet  
Curriculum Luna peragratis vndique Signis:  
Nam credit ad tractum ex quo primū cooperat ire:  
Hic ubi temperiem facit, ac siccum aera prebet.

## ADMONITIO in precedentia, non negligenda.

**D**Vm Phœbe Soli, aut reliquis coniungitur astris:  
Vel valido aspectu illorum commercia querit:  
Quales dicentur tractus quos tum peragrabit:  
Hec sum. Aeris expectanda venit commotio talis:  
mopere, p. Si stellæ simili de Signo, ac parte fauebunt:  
cōmotio- nib⁹ aeris Ni tum causa potens aliunde obstetque, vetetque:  
notanda Quam docti Astronomi, parvo, facilique labore  
sunt. Expedient: quod ad aspectus etiam potes omneis  
Stellarum

A V T O R E A N T O . M I Z A L D O

Stellarum inter se prudenti aptare Minerua.

Signum Zodiaci à quo Ver Astronomis initiatur:  
cum pulchra ipsius Veris descriptione ac natura.

**L**Aniger, ad C ancri properantem teclula Phæbum, Ver quan-  
(Dum reddit à Capro, & cōmutat frigus in aestum,) do auspi-  
cetur.

Inter principium ascensus, finēque coercet:

Hic ubi Ver reuebit, victumque ad sidera Brumæ,

Vinceret diem facit, & succumbere nocteis.

Tunc varios satagit flores emittere tellus:

Tunc nona gemma tumet gy auido de palmite Bacchi:

Tunc pecudum, volucrūmque genus per pabula lata

Pulcher-

rima Veris

descriptio

Incubit proli, & Veneri: totumque canora

Voce nemus resonat: frondēque virescit in altam:

Tunc cælum ridet: tunc lapsas vsque reponit

Sylva comas: veteresque canit philomela qureolas:

Floribus ornatæ crines per prata Napeæ

Deducunt choræas: Dryades, Satyrīque petulci

Carmenæ muscosis iterant luscina sub antris:

Viribus in tantum cæli natura mouetur.

Signum Zodiaci à quo Aestas Astronomis ini-  
tiatur, cum pulchra ipsius Aestatis descriptione,  
ac pictura.

Aestas ubi

auspice-

tur.

**P**hœbus ad ardentes veniens fastigia Cancri,

Extendit lucem summam, paruoque recessu

Defruit: & quanto hanc defraudat tempore, tanto

Prolongat nocteis, donec videat Capricornum.

Tunc aestum nobis perfert sudore molestum:

Tunc Cererem fragili properat distingere culmo

Messor: tum pelagus calfactis aestuat vndis:

Tunc & bella fero tractantur Marte cruenta:

Inque Canes rabiem ducuntur, & omnia feruent:

Pulcherri-

ma Aesta-

tis descri-

prio.

Multa-

ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Multaque pro sterili conduntur tempore Brumæ:  
Aurea mala, nuces, fruges, pira, cære, a pruna,  
Necnon cæcoli, vestes, mel, amigdala, siccus,  
Herbe, flores, ligna, legumina, denique quiduis.

Signum Zodiaci à quo Autūnus initiatu*r*: cura  
propria ipsius Autumni descriptiōe ac pictura.

Autūnus  
quādo au-  
spicetur.

Pulcherri-  
ma Autū-  
ni descri-  
ptio.

Hyems  
quādo au-  
spicetur.

Pulcher-  
rima Hie-  
mis descri-  
ptio.

Ipsa quoque his anni clauduntur tempora Signis:

**L**ibra diem socians aequali tempore nocti,  
Cum primū vidit clarissima numina Phœbi,  
Et iussit vietas usque ad se, vincere nocteis,  
Pestifernum Autūnum miseris mortalibus adfert:  
Quo, modò frigoribus premimur, modò soluimur æstis:  
Aer èque incerto, morbis apestis granamur.  
Tunc Liber granida descendit gratus ab uua:  
Dulciaque expressis deflumant musta racemis:  
Tunc ad aratra bones veniunt, dum terra tepe  
Autumnī resoluta patet: dum semina captat.

Signum Zodiaci à quo Hyems auspicatur, cū  
propria ipsius Hyemis descriptione ac pictura.

**H**orrifer, his oris, Brumā Capricornus ineret  
Per minimas stringit luce*s*, & maxima noctis  
Tempora: sed tamen ille diem producere tentat  
Sensim: pro Solis motu, Signique recessu.  
Tunc riget omnis ager, clausum est mare, castra sepulta:  
Tunc homines latitant, necnon genus omne ferarum,  
Frigoribus nimis cœlo, terraque refusis:  
Vnde per Aestatem partis tum rite fruuntur,  
Ut formica: pigros hac paſsim voce laceſſens:  
Aestas non adcrit ſemper, conquirite grana,  
Dum tempus cereale riget: ciu*d* præterit illud.

**I**Signa tria dictis tempeſtat, deputari.

AVTORE ANTO. MIZALDO.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, tria sidera Veris:  
Aestatem Cancer, Leo trax, cum Virgine compleat:  
Scorpius Autumnum, & duplice cum Lance, Sagitta:  
Deinde Hyemi Pisces, Capricornus, Aquarius adsunt.

Triades  
quatuor  
anni tēpē  
statum.

Ab Ariete, siue ab Aequinoctio vernali, gentes  
plerasque suum annum olim inchoant.

**Q**uidam (si nescis) post frigida tempora Bruma,  
Cum premit auratos Nephelai velleris artus  
Phœbus: & imbriferū rediit Ver:ō a quādo.  
Floribus arrident: quando omnis germinat arboſ,  
Cum viret omne nemus, resonant dum frondea rura  
Concentu volucrum vario, pecudēſque, ferēqūe  
In venerem exultant, & amor, venit omnibus idem,  
Hinc anni ingressum statuere, & limina prima.

Veris na-  
tura.

A Cácro, siue ab aestiuo Solstitio géteis plerāsq; &c.

**S**unt apud antiquos, qui ē summo culmine cœli  
Quā regnat calor, & vectores Phœbus anhelos  
Siftit carceribus positis, exordia prima:  
Anni surgentis fecere, ac atria prima  
Nam tum flava Ceres, neconon Pomona triumphant:  
Ee latē omniferis ditescit mundus ab aruis.

Aestatis  
natura.

A Libra, siue ab autūn. Aequinoct. géteis plerāsq; &c.

**N**onnullos dabo, qui qua brachia parte reponit  
Signiferi, chelāſque audacius exerit, acer  
Scorpius, hic, anni primos aditus statuere,  
Et primam fecere viam: nam partibus æquis  
Distribuit lucem, atque umbras Sol optimus illuc:  
Ac noctem paribus suspendit ubique diebus:  
Addes, quod tellus prolatus fructibus, atque  
Omnigenis granis, Bacchi cellaria complet:

Autūni  
natura.

Vnde

ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Vnde fluunt risus, & panper cornua sumit.

A Capricorno, siue à Solstitio hyberno, gentes  
plerasque &c.

**A**T Num, frigoribus per iniquū tempus (vbi ingēs  
Declinat cælum, & gelidum Sol Aegocerota  
Pronus adit, pronōque petit spacia vltima cursu,  
Linquens Antipodum sedes, festinus & Austro  
Ad Boream ascendit sinuoso calle. diēmque  
Anget, & obscuras nocti tum surripit umbras)  
Anni principium Romanis adidit olim:  
Quod tunc terra suos factus emiserit omneis:  
Atque nouos reparet, stellis, cœloque fauente.

Signa Zodiaci cum suis Planetis, quos ventos  
excident secundum nonnullos.

**V**Entorum flatus variant, variantibus astris:  
Signa ignea precipitem Boream, & rigidissima claustris  
Arctois flabra emittunt, glaciēmque, niuēmque:  
Sape tamen vicino Aries de tramite Cauris  
(Immissum Zephyro, ac Boreæ genus) euocat antris.  
Aquea. Humida Signa etiam humentes referentia flatus  
Oceani, occiduos motus, aurāmque Fauonij  
Sollicitant: tamen & Libycis procul excita arenis  
Flabra crient, Zephyro transflata frequenter, ad Austrum.  
Terrea. Sic plenisque Notum, terrestria Signa refundunt:  
Et nimis ingrato nobis afflamine perflant:  
Aera. Ast, Eurūmque, Eurique domos, Nabathæaque regna  
Aeris agnoscunt, & habent tria lucida Signa:  
Si Luna, & proprij conspirentrie Planetæ.

Signis Zodiaci, septem mundi climata subiici,  
& ascribi: proprijsque ibi Planetas duces, acre-

tores

*AVTORE ANTO. MIZALDO.*

stores habere: quorum naturam subdita climata  
plerumque referunt.

**A**stronomi veteres terrestria clima ta septem,  
*Signis Zodiaci tribuerunt ordine tali:*  
*Vnigero primum cessit, necnon Capricorno:*  
*Cui dux praeficitur Saturnus succus & exlex.*  
*Cheiron & Pisces narrant spectare secundum:*  
*Iupiter est dominus, gemmarum diues, & auri.*  
*Tertium habere Nepam dixerunt, Lanigerumque:*  
*Cui Mars imperitat, bellis & sanguine notus.*  
*Quartum rite Leo prisco sibi fædere iungit:*  
*Pro rectore tenet Phœbum gravitate verendum:*  
*Taurus cum Libra quintum petiere regendum:*  
*Atque ducem Venerem, luxu, pompaque fluentem.*  
*Iure bono sextum Geminis, ac Virgine gaudet:*  
*Ductor Mercurius, mercis, linguaeque magister:*  
*Postremum Cancer solus sibi vendicat: atque*  
*Agoscit Phœben dominam, subitamque, leuemque:*  
*Qualis erit rector, subiectos credito tales.*

Signis Zodiaci, ac ite Planetis, certas orbis ter-  
rarum regiones subiici. Ex quo, tot & rerum, &  
figurarum varietates, ac particulares proprietati-  
tum distributiones emergere solent.

**R**ite Deus mundum in parteis diuisit, & astra  
Cuique dedit parti cum summo iure: tulitque  
Vt terras alias aliud sibi vendicet astrum:  
Scilicet hinc varium genus est hominum, variaeque  
Leges, & variae mentes, variaeque figure:  
Adde sonos totidem vocum: totidem infere linguas:  
Et mores pro sorte pares, ritusque locorum:  
Addit genus varium, simili sub semine, frugum:

*Et Cererem*

Vnde tata  
varietas in  
rebus hu-  
manis, &  
naturæ.

ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Et Cererem varia redemptem messe per orbem:

Ac Bacchum grato dantem sua munera gustu:

Atque alias aliis fundentem collibus vuas:

Ad deferas, variis genitas formisque, locisque:

Necnon & gemmas, & fructus, atque metallas:

Quae varias vireis retinent, variisque colores.

Ex quo, erediderim recte scriptisse vetustos,

Pulchra, Quod cælum passim producit, non ager: & quod

& notatu Inferiora vigent radiis moderata supernis,

dignissima. Ac proprium fidus sortitur quelibet ora.

Scilicet hinc omnes terræ, non omnia possunt:

Atque hic sunt segetes, ibi cinnama, pascua, flores,

Arbores fructus alibi, lapidesque ferarq.

Nam cælo natura subest, cælo omnia parent.

Ergo, sunt ascripta locis variis, varia astra.

Lumine quo & motu moderantur subdita, quorum

Ista tibi paucis dabitur numeratio præfca.

Signo Arietis subditæ regiones, ex prisorum nomenclatura.

**A**ries in primis veneratur tota Propontis,

Et Syriae gentes, & laxo Persis amictu:

Necnon Aegyptus, cui herentes iungit terras.

Signo Tauri subditæ, &c.

**T**aurus habet Scythie tractus, Asiaque potentem:

Et molles Arabas, Iudeæ ditia regna:

Necnon & Cyprum, ac genteis, urbeisque propinquas.

Signo geminorum subditæ, &c.

**E**xinus pontus Scythicas sinuatus in oras,

Sub Geminis te Phœbe colit, Gangésque profundus:

Quæ loca connumerat vicino limite iuncta.

Signo

**A**VTORE ANTO. MIZALDO

Signo Cancri subditæ, &c.

**A**udent Aethiopes Cancro, quibus est calor ingens:  
Quod color ipse docet: substernitur India Cancro.

Signo Leonis subditæ, &c.

**T**E metuende Leo Phryx sufficit: atque pauescit  
Cappadocum, Armenięq; ingis Bithynia diues:  
Te timet & Macedūm tellus, quæ vicrat orbem.

Signo Virginis subditæ, &c.

**V**irgine sub casta celebris terraque, marique  
Est Rhodus, Ionięq; vrbes, & Dorica castra:  
Arcades antiqui, celebraitaque Caria fama.

Signo Librae subditæ, &c.

**H**Esperiam modò Libra tenet (quâ condita Roma)  
Necnon vicinas gentes, populosque propinquos:  
At Libyam, Aegyptique latus, cognataque regna.

Signo Scorpij subditæ, &c.

**T**Hyrrhenas arceis tutatur Scorpius: vnam  
Sardiniamque regit: fusisque per aquora terras.

Signo Sagittarij subditæ, &c.

**G**Nosis Centauro tellus circundata ponto  
Paret: Trinacriam socio sibi fœdere iungens:  
Quam sequitur Crete, sub eodem condita Signo.

Signo Capricorni subditæ, &c.

**T**VCapricorne tenes, quidquid sub Sole cadente  
Est possum: gelidamq; Helicem quod tagit: adoptas  
Hispanos, celebresque animis, ac corpore Gallos.

Signo Aquarij subditæ, &c.

**V**ndas effundens inuenili corpore Signum,  
Cum Tyriis, Cilices, & proxima regna gubernat.

Signo

ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Signo Piscium subditæ, &c.

Piscibus Euphrates seruit, Parthique fugaces,  
Et Tigris, & rubri notissima littora Ponti.

ADMONITIO.

Si quis plura volet, poterit percurrere solers,  
Quæ sunt à nobis in libro scripta secundo,  
Quem nuper dedimus de visis crebro Cometis:  
Vide libru[m] illuc persequimur regiones, oppida, & urbeis,  
2. Come-  
tographia[n]e nostræ.

Signorum triplicates fœdere tacito, cœlestia de-  
creta omnibus regionibus quas subiectas habent  
ex æquo cōmunicare. Adhèc, regiones regionibus,  
vt Signa Signis alicubi conuenire, alibi diffentire.

Sic diuisa manet tellus per singula Signa:  
A quibus in proprias terras sunt iura trahendas.  
Namque eadem, quæ sunt Signis, commercia seruant:  
Vtque illa inter se coeunt, odiisque repugnant,  
Nunc aduersa sibi, nunc & sociata decenter,  
Sic terræ terris, arua aruis, urbis urbes  
Philoso-  
phica &  
summè no-  
tanda. Discordant, pugnat, sociantur, conueniuntque;  
Hinc erit & sedes fugienda, petendaque cuique  
Hic modò, nunc alibi (vt Signum natale docebit)  
Hic quærenda salus, & ibi metuenda pericla.  
Nam quod inest terris, cælo descendit ab alto.

Signorum Zodiaci decreta (vti etiam Planeta-  
rum) ob regionum situs, ac naturas, plerunque  
impediti ac mutari. Ex quo, varia locis variis  
conceduntur, aliis negantur.

Nespernas terræ positus, ac flumina: & ipsos  
Aspice arenos tractus maris: aspice monteis  
Montibus

A U T O R E A N T O . M I Z A L D O .

Monibus impositos, & declinantia in imas  
Conualeis loca: & acriis superindita saxis  
Oppida: non idem obtutus, posituraque cœli  
Omnibus est eadem: nec Sol bonus omnibus idem:  
Non similis natura soli, non ætheris aura.  
Hinc variant mores, variat natura locorum:  
Et tempestatum motusque, vicissimque per orbem:  
Vnde sit, ut pluviae nostrates, nix alibi sint:  
Atque niues grando, tonitru ventus, pluviaeque,  
Insuper agricola hic, naute illuc, armigerique,  
Insignes alibi aurigæ, rabulaeque forenses  
Vere nascantur: coloque, soloque fauente:  
Et sic de reliquis, ne sim narrando molestus.

Locorum  
positiones  
& situs cū  
cœlo ne-  
gligi non  
debere.

Signa Zodiaci hominum membris attributa: &  
quando morbos, aut vitia portendant.

V T terras alias aliud sibi vendicat astrum,  
Sic alias aliud de nostro corpore partens,  
Quodcumque id fuerit Signum, sibi iure reposcit:  
Vnde Aries capiti, Taurus ceruicibus heret:  
Brachia sunt Geminis: censentur pectora Cancro:  
Testomachus Nemeæ vocat, tæque ilia Virgo:  
Libra colit cluneis, & Scorpius inguine gaudet:  
Arcitenens femore: & genibus Capricornus: aquarum  
Fusor habet crura: & gemini vestigia Pisces.  
Si male fortunatus erit, languensue Planeta  
In Signis istis, membrum quid subditur, anget  
Morbo, vel vito, reliquis testantibus, ut fert  
Ars: quâ sub cœlo non est diuinior villa:  
Sit modò circumspetè tractata, atque peritè,  
Et non indocto lucrandi turpiter ausu.  
Sed satis h.ec, & forè nimis: nanc scribere restat,

Partes hu-  
mani cor-  
poris Sig-  
nis depu-  
tatae.

D Quos

ZODIACI LIBER SECUNDVS.

Quos mores animis nascentum Signa refundant:  
Ne tibi me quidquam dicas voluisse negare:  
Qui prodeſſe, fauere, iuuare, ac utilis eſſe  
Optauſi ſemper: necnon cœleſtia certos  
Vſus ferre tibi, & gratis dare commoda mille:  
Id quod p̄cipuum (cum multis) arbitror eſſe:  
Non ſolum in rebus cali, ſed qualibet arte.

FINIS LIBRI SECUNDI ZO-  
diaci, ſive Hortuli duodecim Signo-  
rum cœli Autore Antonio  
Mizaldo Monluciano.